

EXPERIMENTUM XII.

REGINA Ebrhardtin, 20. annorum, 27. Aprilis ad nosocomium delata est, dum accessi jam a media hora abdomen continuo valida convulsione agitabatur; videbatur quoque idem in dia phragmate contingere: subito enim perctus valide dilatabatur, costæ ascendebant, & citissime iterum collabebantur, accedebat per intervalla vehementissimus singultus, risus sardonius, ægra voce privabatur, ac ablatum potum difficile admodum deglutiebat, pulsus erat plenus, fortis, celer.

Venæ sectionem illico instituendam conclusi; sanguis prodiit consistentia & colore bonus, respiratio paulo est facta levior.

Pro

Pro medicamento dedi emulsum refrigerans cum syrupo diacod., enema emolliens ipsi injectum est, quod per horam retentum reddidit cum fæcibus cœctis; regioni ventriculi scutum stomachicum ex *Empl. diabot.* q. s & *Laud.* pur. & *Camph.* aa. gr. XV. applicatum est.

Sub vesperas sensim remiserunt omnia symptomata, & a media nocte ad quintam matutinam sat bene dormivit ægra.

Mane admodum debilis erat, & ajebat sibi videri totum pectus anterius, & epigastrum quasi a verberibus contusum esse. Pulsus erat utcunque inæqualis.

Narravit, se jam a quadriduo nulla cognita causa per vices difficile spirare, angi, nunquam autem talem insultum

paf-

passam esse, qualem die præcedenti vi-
deramus; loco emulsi decoctum emol-
liens tunc assumpit, ac enema iterum
injectum est: diem ac noctem sequentem
sat bene transegit.

Trigesima autem Aprilis, dum mane
accederem, inveni illam in æque malo
statu ac die vigesima septima; febris ta-
men moderatior videbatur, & facilius
deglutiebat: commendavi, ut ipsi sæ-
pius juscum calidum propinaretur:
scutum stomachicum mansit applicatum
ventriculo, & ægra decocto emolliente
continuavit uti.

Præterea proscribebatur mixtura cum
uncia una corticis peruviani &c. ut eam,
finito paroxysmo intra viginti quatuor
horas absumeret.

Nox fuit inquieta, & prima Maji mane de magna anxietate conquerebatur, ac dicebat sibi præcordia dilacerari.

Jussi enemā injici, ac præter mixtrum cum cortice peruv. sumpſit decoctum radicis salab.

Sequenti nocte paululum dormivit, & circa quartam matutinam paroxysmo iterum correpta est, sed validiori, quam fuerat præcedens.

Circa meridiem cessavit malum; verum ægra valde debilis erat, & novam dosim corticis in extracto incepit sumere.

Noctu iterum fortiorem morbi insultum passa & hinc cum a cortice exacerbari omnia viderem, dedi tertia Maji binas pilulas de extracto Hyosciami ter die sumendas, & jussi, ut ipsi sæpius juculum calidum exhiberetur.

Nox

Nox fuit pacatior, & sequenti die paroxysmo leniori correpta fuit: eandem pilularum dosin perrexit sumere.

Alvum sponte habuit, & noctu optime dormivit.

Quævis pilula habuit pondere granum unum.

Quinta Maji sub vespertas insultum mali binarum horarum spatio passa est; verum poterat loqui, & facile juscula deglutiebat, motus quoque convulsivus minor erat.

Redivit irregularis, & levis tantum paroxysmus modo omni die, modo omni alterno die usque ad decimum quintum Maji; abeo autem tempore nil amplius mali observatum est.

Perrexit adhuc pilulas sumere usque ad finem mensis Maji.

Quarto Junii vidi illam Illustrissimus
Præses optima sanitate gaudentem.

Toto morbi tempore urina semper be-
ne colorata cum enaioremate fundum
petente conspiciebatur.

EXPERIMENTUM XIII.

JUliana Gruberin, 27. annorum, venit
14. Junii ad nosocomium.

Dicebat, se jam a quatuor hebdoma-
dis contractione ventriculi, anxia respi-
ratione laborare, ac se a 15. diebus diffi-
cillime deglutire.

Dum prima vice illam vidi, foemina
tota emaciata erat, ac ita defatigabatur,
dum aliqua cochlearia jusculti cum pane
assumeret, ut vix binas uncias magna
labore potuerit deglutire.

In-